Aphorismi Pædagogici,

quos

Consentiente Max. Vener. Consist. Eccles. Lundensi

pro munere Rectoris obtinendo

miti bonorum censuræ

modeste offert

N. THEOD. SIMONSSON,

Phil. Mag. Ad Scholam Cathedr. Lund. Adjunctus, V. D. M.

Respondente

C. J. COLLIN,

Blekingo.

In Acad. Carol. die x Juni MDCCCXLIII.

hor. a. m. sol.

Lundæ,

typis excudit CAROLUS FR. BERLING

MDCCCXLIII.

Aphorismus I.

Quomodo removeatur importunitas illa, qua jam diu laborant scholæ hujus ætatis, in quibus traduntur doctrinarum elementa, quum tam multiplicatæ sint res in iis discendæ, ut ipsi moli succumbere videantur discentium animi, quæstio et cura est, quantum equidem videam, in præsenti præcipua, ad institutionem puerilem quod attinet. Scholam litterariam hoc sibi propositum habere, ut ad humanitatem et sic quidem ad cultum atque doctrinam libero dignam perducat, quis est qui neget? verum autem cultum mentis et animi non in sola multarum rerum scientia positum esse, neque continuo esse hominem vere litteratum et doctrina politum, qui multas variasque res perceperit, jam usu satis probatum esse videtur. Fuit quidem tempus, quum fere omnium una esset hæc vox, scholam jam elementarem velut omnium litterarum studiorumque sedem esse debere, eamque, quo citius pueros sibi demandatos summa imbuisset scientiæ copia et varietate, eo propius ad metam sibi propositam accedere. Quamquam nunc quoque haud omnino desunt, qui, hac ipsa falsa opinione capti, a scholis vix minus iniqua postulent, hos tamen nullos alios esse crediderim, nisi qui aut ipsi, veræ et solidæ rerum cognitionis expertes, ut in ceteris, ita de studiis

1

liberalibus quum quæritur, speciem potius quam veritatem sequantur, aut quamvis summa doctrinæ copia instructi neque minus ingenio præstantes, tamen in pueris educandis instituendisque minime vel tantummodo leviter versati suoque ingenio freti, ceteros quoque posse eadem ratione ad humanitatem informari falso existiment, qua ipsi, naturæ bonitate maxime adjuti, summam illam et perfectam doctrinæ laudem attigerint. Quorum igitur jam a justis hujusce rei æstimatoribus explosa est sententia, haud secus quam ridentur a prudentissimo quoque parentes, qui, didicerintne liberi, a quibus ipsis mortuis victum quærant, parum solliciti, id unice agant, ut quam amplissimum patrimonium his relinquant. In hoc ideo artis instituendi gnari et periti consentire mihi videntur, sapientis esse præceptoris primum in id incumbere, ut rite excolatur animus puerorum, seu ut singulæ animi facultates acuantur et firmentur ad eum usque finem, quoad olim, aliena ope juvenes destituti, quodcunque genus litterarum vel ipsi elegerint vel fors aut vitæ necessitas obtulerit, in eo proprio Marte non minus prospero cum successu quam studio alacri elaborent. Quod licet assidua efficiatur exercitatione, ad quam materia quidem opus est, in qua vires se exerceant, tamen videndum esse, ne justo major sit hujus materiei copia et varietas, sapienter monuerunt viri in institutione puerili versatissimi. Posse enim facile fieri, ut hac ipsa copia et varietate rerum discendarum dissipetur et enervetur non modo discendi facultas sed etiam studium et cupiditas, quumque plures discipulis ad discendum offerantur res, quam quæ clare et accurate percipere atque comprehendere, ordine disponere, fidelique memoria retinere possint, hac re id solum effici, ut puer, aut præmature nimio labore fessus, per totam vitam a litteris alienus, scientiæ pervestigationi parum fiat idoneus, aut memoria solum operosus cetera iners, omnia tamquam dictata ediscat et recitet, atque ita propter

vanam et pæne stultam πολυμαθιαν vires animi excelsiores hebescant atque torpeant. Neque vero sunt audiendi, qui hanc ipsam ob causam, quod major rerum discendarum copia facile damno esse possit, expeditius quam consideratius omnia illa litterarum genera e scholis exterminata volunt, quibus his proximis temporibus in scholis studeri coeptum est, nihil institutione publica pueris tradendum esse existimantes, nisi quæ disciplinæ patrum aut majorum memoria in scholis vigebant. Contra quos satis forsitan erit observasse, primum, quum nulla sit ars neque scientia, quæ non, alia aliter, ad animum informandum ingeniumque excolendum valeat, mancam quodammodo et imperfectam semper fieri discipulorum eruditionem, re quadam posthabita et neglecta, quæ tamen salva et incolumi accurata solidaque institutione tradi poterat, quumque non omnibus scholæ cuidam adscriptis sit potestas, relicto ludo litterario, in Academia litterarum causa versandi, optandum quidem esse, ut quum deposito studiorum tirocinio scholæ valedixerint, quanta fieri potest rerum atque artium scientia sint instructi; deinde quamvis multi ea, quæ in schola non perceperint, postea possint addiscere, plurimis tamen difficillimum videri provectiori ætate ad studium disciplinæ cujusdam tanquam tirones adgredi — neque enim omnes sunt Catonis similes, qui litteras Græcas senex didicit, neque eadem est percipiendi celeritas et memoriæ tenacitas adultorum hominum atque puerorum et adolescentium, — quo factum est, ut multi iique litteratissimi nonnullius studii per totam vitam permanserint non solum ignari sed et alieni, qui quidem animi habitus a vera eruditione et humanitate longe abhorret. Huc accedit quod, si quasdam disciplinas in scholis jacere oporteat, tunc quæ dicuntur realia e scholis exterminentur necesse est, quo facto schola e vita communi plus justo abducetur et quasi avelletur, quod quidem diligenter cavendum. Quæ quum ita sint, haud exiguam adesse

difficultatem, quis est qui non videat? Attamen crediderim, rei posse subveniri, ita ut et iis, quæ ætas nostra a schola poscit, satisfiat, neque de antiqua illa solida et firma eruditione quidquam minuatur. Primum si temporis spatium, per quod discipulus institutione scholastica fruetur, non fuerit nimis angustis circumscriptum finibus, scholæque ipsi hoc datur, ut sola et libera constituat, quo tempore satis habeatur maturus et aptus, qui ad altiora studia vel ad quæstum operosum exeat; deinde si electum fuit sapienter quoddam studium quasi primarium, in quo præ ceteris elaboretur et ad quod cetera accommodentur tamquam secundaria, atque cavetur, ne justo pluribus rebus una et semel studeatur, neve discipulus a nova quadam re initium faciat, priusquam illas, quibus jam operam dederit, satis accurata, certa et distincta cognitione perceptas habeat, in quo id quoque semper diligenter observandum, ut plus temporis in ea re collocetur, ad quam proxime accesserit, donec in ea satis fuerit versatus, quæ vero jam percepta habeat lectione magis cursoria retineat; postremo, si numquam magister aut ipse obliviscatur aut discipulos admonere prætermittat illius vinculi, quo omnia fere studiorum et disciplinarum genera inter se continentur, ut quidquid novi et antea incogniti dictum vel lectum fuerit, id arctissime jam cognitis, ut quæque erunt natura proxima quasi cognatione juncta, adnectatur et superstruatur, quod quidem ea faciendum arte et quasi astutia, ut rarius discipulus novam quandam et insolitam rem sibi proponi, sæpius vero nova tantummodo quædam adjuncta jam cognitæ addi existimet, vel nota illa alia componi junctura, vel quæ de alia didicerit et intellexerit ad aliam referri et accommodari: si hæc, inquam, rite observata fuerint, tunc persuasissimum habere posse videor, fore ut, etiamsi nulla disciplinarum, quibus in præsenti in scholis nostris studetur, rejecta, multitudo ipsa rerum, quamvis magna, vigori illi et vivacitati

in percipiendo animi solidæque et accuratæ eruditioni non modo non sit impedimento verum etiam maximum ferat adjumentum, siquidem tum primum politioris humanitatis particeps aliquis habendus, quum exercitatis et subactis, quam maxime fieri potest, ingenii viribus, amplissima instructus est rerum maximarum scientia.

Aphorismus II.

Quænam disciplinæ in scholis sint tradendæ quum quæritur, forsan in dubium vocari potest, num his adnumeranda sit theologia, quæ sensu proprio dicitur, seu dogmatica. Non ita multis abhinc annis præ ceteris omnibus hoc studium in scholis florebat, ut exceptis tantummodo litteris Latinis, quæ tamen plerumque theologiæ serviebant, nulli, credo, tantum temporis operæque tribueretur. Quod quidem quamquam fuit vituperandum, quia hoc modo ad certum quoddam vitæ genus capessendum discipuli solum conformabantur, quo vitio schola semper a proposito aberrat; tamen non possum quin auctores legis, quæ nunc quoque viget, scholasticæ magnopere laudem, quod hoc quoque studium in scholis colendum censuerint, idque ut fieret, lege sanxerint. Neque tamen is sum, qui de doctrina religionis nihil, nisi quæ quasi traduntur in arte, in scholis tractandum esse putem. Uniuscujusque, qui Christi cultorem se profitetur, quodcunque vitæ genus electurus est, hoc maxime interest, ut pietate vere Christiana jam a puero imbuatur, quod vero quonam modo fieri poterit, nisi a teneris inde annis præcepta religionis ita illi fuerint tradita, ut nullo tempore, quæ traduntur, a puerili intelligentia sensuque sint sejuncta? Quamobrem probe meminerit, quicumque in republica, Christi nomen profitente, munere pueros instituendi fungitur, esse se quoque nun-

tii illius læti quodammodo præconem, cui vis inest divina, quemvis fidem ipsi habentem salvum præstitura; qui igitur, quotiescumque puerulum instituendum et, quantum in ipso est, educandum susceperit, toties sibi a summo illo Doctore et Magistro demandatum credat unum e parvulis, qui fidem Illi habent, qui quidem non ad humanitatem solum sit conformandus, sed, id quod multo majus est, ad sanctimoniam renovandus, ideoque, ut verbis Apostoli utar, primum lactis potu alendus, deinde, prout adoleverit ætas, solidiori cibo nutriendus est, ut indies magis magisque novum illum hominem, secundum Deum creatum vera probitate et pietate, induat. Quæ cum ita sint, hoc primum videat præceptor, ut ipsa oracula divina sedulo ac studiose adeant discipuli, quod quidem, quamvis obstent variæ horum temporum iniquitates, tamen ita fieri et potest et debet, ut non solum sanctam religionis historiam ex ipsis bibliis potius quam, ut vulgo fit, e compendiis, excerpta quædam exigua continentibus, pueri discant, sed etiam universum argumentum totius sacri codicis summatim, singulorum autem quorundam librorum accuratius, cognoscant. Præterea illius est, institutioni catecheticæ studiose vacare, usque eo quoad præceptorum doctrinæ Christianæ et plenam et planam et accuratam acceperint cognitionem, eam scilicet, quæ illius esse debet, qui fidei, quam profitetur, publice et sollemniter rationem reddere poterit. Quo ubi perventum fuerit, officio suo schola jam defuncta erit, nisi quæ doctam et eruditam alumnis institutionem profiteatur, quæ ut in ceteris ad majora tendit, ita hac in re ut supra modum vulgarem aliquid adjiciat, merito postulare posse videmur. Ut enim multa opus sunt scientia elegantiori polito et instructo, illi, qui mediocriter tantum literis est tinctus, minime necessaria, neque est eadem hujus cogitandi et judicandi vis, quæ illius, ita etiam, cum de religionis doctrina quæritur, alia quædam scientia et intelligen-

tia illi insit oportere videtur atque huic, neque ille satis habere potest, si modo præcepta religionis ex intelligentia communi percepta habeat; sed, velut in ceteris studiis rationes eorum, quæ tradita fuerint, requirere assuefactus fuit, ita etiam sancta religionis placita eidem censuræ atque judicio subjiciet, nexum eorum internum comprehendere, vinculum etiam, quo cum ceteris, quæ in intelligentiam cadunt humanam, contineantur, conspicere studebit: quo studio captus, si sibimet ipsi fuerit relictus neque aliena ope adjutus, periculum est ne, quod haud raro usu venit, dubitatione impleatur et vincatur, omnia illa, quæ puer didicerit, velut fabulas rejiciens et respuens. Huic præsertim calamitati ut subveniatur, — alia, quæ hoc idem suadent, ut silentio prætermittam, — necesse crediderim, non semper in schola doctrinam religionis Christianæ ad sensus vulgi accommodate proponi, sed primas quoque lineas duci theologiæ in artis formam redactæ, quod tamen non nisi in supremis classibus faciendum, neque ipsa res subtilius quam quæ scholam ætatemque puerilem decet, tractanda.

Aphorismus III.

Sine dubio bene de institutione scholastica meritus est, quicumque primus id effecit, ut linguæ vernaculæ in scholis nostris studeri coeptum sit, melius etiam meriturus, si id quoque ostendisset, quanam ratione hoc studium institueretur, ut fructum quam uberrimum inde caperent discentes. Qua de re contendere ausim, minorem quam pro rei gravitate hactenus hunc fructum fuisse, id quod inde præsertim ortum crediderim, quod plerumque, quid præcipue sit hoc studio spectandum, et cuinam emolumento potissimum esse possit, parum fuerit consideratum, minus etiam penitus perspectum. Quamquam quod de ceteris linguis, præsertim clas-

sicis, haud raro fuit disceptatum, utrum eam potius ob causam in scholis sint legendæ, quia in vita communi sæpe utile est, latine, græce cet. scire vel scribere vel loqui, an formalis, ut dicunt, usus imprimis sit ex illis in institutione puerorum quærendus, id de lingua vernacula in controversiam cadere non posse videtur; tamen interdum et hujus studium ita tractatur, quasi esset hic alius sermo non noster, neque prius puer suetice scire vel loqui posset, quam hoc in schola didicisset. Qua de re emendatione mihi valde opus esse videtur. Ut enim longe aliud huic studio propositum esse debet, ita etiam longe alia via ingredienda est, ut eo, quo optant, hujus linguæ studiosi perveniant.

Studio linguæ vernaculæ quid propositum sibi habeat et quid per hoc studium imprimis sit adsequendum, neminem fugere potest, considerantem, quænam sit facultatis cogitandi cum loquendi facultate conjunctio. Quum verborum tantummodo ope sensa exprimere possimus, uniuscujusque plurimi interest, præbere se sermonem, quo quis utitur, cogitationi tamquam ministrum facillimum et obsequentissimum: primum igitur, linguæ vernaculæ dum studetur, elaborandum est, ut discipulus tanta instruatur verborum copia, tamque in verbis rite struendis exerceatur, ut quidquid sentiat promte atque expedite eloqui possit. Quum vero etiam oratio in mentem atque animum suam vim exerceat, quia plurimum valet ad animi sensa evolvenda et explicanda, si cogitata semper plane atque distincte proponuntur; etiam in id incumbere debet, quicumque linguam vernaculam vel aliam quandam rem docet, ut rite semper loquendo clare et perspicue cogitare discant discipuli. Ex quibus patet, duo imprimis huic institutioni proposita esse, ut simul cogitandi sollertia acuatur et loquendi celeritas incitetur.

Quod ad rationem, qua huic linguæ studeatur, attinet; primum, brevi ut comprehendam, multa, quæ nunc sunt in usu, abro-

ganda esse censeo. Neque enim exercitationes illæ, quibus id unice spectatur, ut voces singulas, quibus par est litteris, scribant pueruli, neque mos ille, quo paradigmata nominum et Verborum e grammatica quadam suecica eis memoriter ediscenda proponuntur, tantæ sunt utilitatis, quantæ sudoris et temporis. Prius illud maximam partem, ante quam in scholam litterariam admittuntur, tenere debent, quod vero restat, sive ut voces, quarum est usus rarior vel scriptura difficilior, suis litteris scribere possint, sensim inter legendum et scribendum discant, ubi præceptor, occasione quavis data, in ejusmodi vocabula discipulorum animos advertat, nec non principia et regulas, ad orthographiam pertinentes, tradat: hæc vero non nisi cum paradigmatis alius cujusdam linguæ conjunctim sunt discenda. Deinde multa etiam novanda esse crediderim. Ut enim verum atque usu probatum est illud, quod factum est tritum sermone proverbium, opposita juxta se posita magis elucescere, ita studium linguæ vernaculæ tum primum prospere successurum esse puto, si cum alia quadam, præsertim classica, contuleris, studium illius cum hujus studio quam arctissime conjunxeris atque ita, ut ex æquo in utramque proficiat puer, effeceris. Quantum methodus illa comparativa linguæ vernaculæ studiosis affere possit adjumentum, indicio sit Grammatica illa Beckeriana *); quæ quanto ceteris grammaticis præstat, tanto etiam certius et citius progredientur pueri, si in docendo quoque hæc methodus fuerit adhibita. Neque igitur sint præceptores, quorum id solum est munus, linguam vernaculam in scholis docere, neque fere sint horæ, quæ studio theoretico hujus linguæ unice tribuantur; nihil enim est, neque in etymologica illa grammatices parte, neque in syntaxi, quod non una cum grammatica latina vel quacumque alia optime

*) Ausführl. deutsche Gram. Frankf. am Main 1836, 7. ed. prim.

discatur. Sed usui atque exercitationibus plurimum tum operæ tum temporis erit tribuendum. Ut rite legant, neque solum secundum præcepta grammatices, sed et logices et, provectiori ætate, rhetorices, tanti interest, ut vix unquam nimius labor ei rei impendi posse videatur; quod vero ad efficiendum, non modo e libris loci ratione lecti sunt recitandi, sed etiam quidam, quos pronuntient, memoriter ediscendi, quod mirum quantum valet et ad memoriam firmandam et ad percipiendi atque intelligendi vim acuendam et ad animum dilatandum sensuque generosiori imbuendum; quibus in exercitationibus id quoque videat magister, ut notitia atque peritia grammatices discipulus magis magisque augeatur. Quæ quidem legendi exercitationes per totam scholam sunt continuandæ, lectis cuicumque ætati aptissimis scriptoribus, ut quum discipulus olim in Academiam se conferet, clarissima, quæ habet patriæ, ingenii monumenta legerit atque cognoverit. Præterea tenendum illud: stilus est optimus et præstantissimus dicendi (quin etiam cogitandi) effector ac magister. Jam mature igitur pueri assuefaciendi, sensa animi litteris mandare, quam quidem ad rem vehementer mos ille probandus mihi videtur, quo narratiuncula quædam puerulis proponitur, quam statim, quantum percipere potuerint, litteris consignent. Ac velut in omnibus, quæ ad institutionem puerilem pertinent, a facilioribus ad difficiliora est progrediendum, ita his levioribus exercitationibus alias succedere oportet graviores, quibus contenta vel lectionis cujusdam auditæ vel sectionis aut capitis cujusdam libri, quem modo legerint, conscribant, vel thema quoddam, primo antea a præceptore explanatum atque dispositum, deinde proprio Marte nullisque subsidiis, tractent atque explicent, in quo id imprimis spectandum, ut non solum sermonis ingenio convenienter, sed etiam acute et eleganter, apte et composita, plene atque copiose cogitata proponant. Quod si ita — de qui-

bus pluribus, quam quæ nunc leviter sunt adumbrata, disserere tempus vetat et locus — lingua vernacula in scholis fuerit tractata, tunc fieri non posse crediderim, quin ad verum animi cultum omnemque vitæ agendæ rationem uberrimum ferat fructum. Quæ enim de patrio sermone cognita habebit adolescens tum non erunt, ut nunc sæpe fit, jejuna cognitio formularum et præceptorum, qualia plerique habent grammaticorum libri, quæ qui didicerit, haud raro non magis est in loquendo nec scribendo gnarus et versatus, quam qui ea numquam audierit; sed cum scientia atque peritia indolis ipsius sermonis conjunctam habebit suetice dicendi atque scribendi facultatem et celeritatem, et quemadmodum hac ipsa, quantum in ceteris studiis artibusque profecerit, in adspectum lucemque potest proferre, ita illis præsertim in sermone patrio adhibendo meditationibus atque exercitationibus acceptum referet, tam propere se hanc tantam tamque exploratam scientiam peperisse.

Aphorismus IV.

Omnium, quæ temporum decursu investigationi Grammaticæ obsteterunt, et effecerunt, ut multo minus quam pro studio et labore, qui in ea ponebatur, progrederetur, haud scio an nihil perniciosius fuerit, quam ratio eorum perversa, qui quum vocabula et loquendi formulas singularum linguarum inter se quidem comparare, sed ipsa cujusque sermonis phænomena velut libere et quasi organice, secundum leges, in ipsa cujusque linguæ vi atque natura insitas, ficta et nata considerare debuissent, regulas suas et notulas et explanationes ex alia lingua depromtas in aliam referrent, quæque in unam convenire invenissent, ea ceteris quoque accommodarent. Quam multa hac ratione e grammatica germanica vel suecana in latinam, e latina in græcam et ab his in illas irrepserunt!

Cujus quidem rei exempla ut afferam, quis nostrum non recordatur regulæ illius, quam jam pueri non satis poteramus mirari, verbum substantivum latinorum certa quadam significatione habere Dativum subjecti, Nominativum vero objecti? Neque solum veteres ejusmodi errorum rei; ne recentiores quidem grammatici his vacant. Sic evolvas, si placet, Grammaticam Zumpt. versionis suec. pag. 496, ubi sagacissime observatum invenies, in enunciatione, qualis hæc Corneliana: Atheniensium opes senescere, contra Lacedæmoniorum crescere videbat, pronomen Illas omissum videri posse. Durius etiam qui, quum de enunciationibus activis in passivas vertendis sermo est, statuunt, Græcos non solum objectum Accusativi, sed etiam quod dicunt remotius seu Dativi, nec non Genitivi, in Nominativum mutasse, quod quidem relatum legas non in iis solum grammaticis, quæ apud nos in manibus sunt puerorum, sed etiam, id quod magis mirandum, apud præcl. Reisig *), qui idem hanc ipsam ob causam Romanos laudare non dubitat, quod in præceptis logices servandis fuerint quam Græci diligentiores. Hi enim cum didicissent, esse Latinis suum passivum, activo illi generi proxime subjectum et inde continuo derivatum, quod quidem, si non satis certum et fidum, attamen habet quod probari possit; Græcis quoque esse suum necesse habuerunt, qua re adducti, quum in ejusmodi elocutiones ex. gr. ἡμεῖς ὑπ᾽ Ἀθηναίων ἐπιβουλευόμεθα, τὸ ἀτιμαζόμενον ἀμελεῖται occurrissent, decepti etiam speciosa quidem sed falsa opinione, Dativos et Genitivos, quos in activo habent hæc Verba, esse casus objecti, quamquam unusquisque rem accuratius considerans ejusmodi explicationem reformidat, ipsa Verba, in his elocutionibus usitata, esse passiva, statuere non dubitarunt, quum et ipsæ formæ Verborum græcorum et vis atque natura generum eorum satis aperte indicant, non continuo passivum ex activo, sed ex hoc reflexivum emanasse, deinde vero reflexivum in passivum transiisse, ut luculenter demonstravit clar. Becker (loc. cit. 1: pag. 165 sq. **)), unde etiam conjicere licet, quonam modo enunciationes, quas supra attulimus, rite sint explicandæ. Eadem fere ratio est eorum, quæ apud plerosque Grammaticos latinos de Accusativo illo Græco s. descriptivo, qui dicitur, traduntur, cujus qui-

*) Vorles. über Lat. Sprachw. pag. 610, 697.

**) Cfr. Mehlhorn in Neue Jahrb. für Phil. u. Päd. I: 1 pag. 31 sq.

dem usus, quamquam apud Latinos rarior, tamen latius, quam vulgo commemorant, mihi patere videtur, neque tam, quam plerumque fit, ab Accusativo objecti separandus est, quippe cui non minor vis descriptiva quam ei, qui inde nomen habet, insit.

Aphorismus V.

Scholis vitæ usui accommodatis (Realschulen, Apologistskolor) omni ratione subveniendum esse, si contendero, spero fore ut mihi a plurimis saltem rei scholasticæ studiosis assentiatur. Non desunt quidem omnino, qui ejusmodi scholas prorsus esse abrogandas censeant, sive ita componendas, ut in gymnasia seu lycæa, quæ dicuntur, abeant *); qui quidem, omnia sibi summa et præstantissima mente atque animo fingere soliti, ob eamque causam a scholis, de quibus dicimus, tam alieni, quod eadem atque gymnasia nondum præstare visæ sint, in eo præsertim mihi errare videntur, quod inter ima et summa nihil interesse medium statuentes, pro nihilo fere habent, quod tamen aliquid est. Nam quum propter iniquam vitæ conditionem non possint omnes totos se in cognitione et scientia collocare, ne omnem quidem puerilem ætatem litteris tribuere, reipublicæ autem intersit, quam plurimos cives, quantum maxime fieri potest, ad humanitatem educari; plurimi in eo consentiunt, ejusmodi quoque scholas in civitate esse debere, in quibus instituantur ii, qui, quamvis subtiliter docti et eruditi evadere nequeant, plane tamen litterarum rudes esse nec volunt nec debent. Qui tamen ipsi, quum de eo quæritur, quemadmodum sint hæ scholæ adornandæ et quæ res in eis discendæ sint, valde inter se dissentiunt. Nonnulli enim scholas, quas dicunt, reales cum gymnasiis tam arcte et intime conjungendas censent, ut cum his in unum fere coalescant, dicentes in uno eodemque ludo, licet non iisdem de rebus institui debere et ii, quorum studia vitaque omnis in rerum cognitione versabitur et qui vitæ communi se dare volunt **); quod vero quum salvo classicarum, quæ dicuntur, linguarum studio fieri nequeat, vereor, ne scholis potius destruendis quam emendandis futurum sit. Aliis certum per temporis spatium junctim et communiter, deinde vero separatim institui debere

*) Ita fere Landfermann, Dir. Gymn. et Schol. real. Duisburg. in Progr. 1842.
**) Vide Geijer Litt. blad. 1838 N:o 6 sq.

videntur utriusque scholæ alumni, ut primum sit quædam schola major quasi propædeutica, quam usque ad annum circiter decimum quartum obire debeant omnes, qui litteris quibuscumque altioribus animum excolere velint, tum vero in duas disjungatur, quarum altera ad studia academica colenda conformet, altera quæ ad vitam agendam cognitu sint opus tradat *); hi vero rem ad perficiendum difficilem eandemque non necessariam urgere mihi videntur. Quorum enim ea est sors atque animus, ut quamvis vitam quæstu vel opificio quodam tueri propositum sibi habeant, tamen politioris illius humanitatis participes fieri et possint et velint, eis nihil omnino obstare inveniam, quominus scholas, quæ doctrinam profitentur subtiliorem, adeant et inde in Academiam se conferant, ubi melius quam in schola quavis elementari ea etiam litterarum atque artium cognitione ornari possunt, quæ vitæ commodis et utilitatibus augendis inserviunt; longe vero majori numero civium, quibus non ea prospera affulget fortuna, etiamsi ita, ut volunt hi, adornati fuerint ludi litterarii, ne minimum quidem ea re consultum fore apparet. Quæ quum ita sint, quisnam alius ad rei medendum reliquus est aditus, quam ut quædam scholæ præcipue vitæ societati accomodentur illitteratorumque, ut dicitur, usui aptentur? Ejusmodi igitur scholas in nostra patria jam adesse, non potest non probari, in quo tamen id reprehendendum esse videtur, justo minus his scholis injunctum fuisse, quod efficiant. Quum enim non magis his quam ceteris scholis elementariis propositum esse possit, ut ad certum quoddam vitæ genus vel certum quæstum exercendum instituant, sed ut studiis atque artibus ingenuis discipuli conformentur atque perpoliantur; quumque jam inter omnes artis instituendi gnaros et peritos constet, nulla re vehementius quam studio linguarum, rite tractato, animum coli puerilem, scholæ vero reali ob temporis, quo ipsa utuntur alumni, angustiam linguis classicis operam dare non liceat: tantum abest ut, quemadmodum jubet lex nostra scholastica, discipulorum arbitrio permitti debeat, utrum linguis, quibus nunc quoque loquuntur homines, studeant necne, ut tum primum scholas reales justum et debitum fructum reddituras esse credam, quum hoc studium linguarum præcipue tractandum sibi constituerint.

---

*) Cfr. Bugge, Det offentl. Skolevæsens Forfatning 3, 29 sq.